



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISSERTATIO MORALIS  
DE  
STATV  
SVBDITORVM  
NATVRALI

IN RELIQVIIS SVIS SPECTATO

QVAM  
PRÆSIDE

PRO MAXIME REVERENDO ATQVE  
EXCELLENTISSIMO,

DOMINO  
GOTTLOB FRIDERICO  
JENICHEN

S. THEOL. LIC. MORAL. ET POLIT. PROF. PVBL.  
ET COLLEGII MIN. PRINC. COLLEGIATO.

PATRONO SVO ÆTATEM DEVENERANDO

*Die XV. Februar. A. MDCCXXI.*

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

JOANNES MICHAEL TEVTSCHER Lips.

BON. ART. ET PHILOS. BACCAL.

---

L I P S I Æ

BERNHARDI CHRISTOPHORI BREITKOPFII.





Q. D. B. V.

# INTROITVS.



Upllicem esse hominum  
Statum, vel *naturalem*  
vel *civilem*, tralatiti-  
um est. Perhibent vul-  
go, in *Statu naturali*  
olim vixisse *homines*,  
antequam introducto  
imperio civili in Civi-  
tates seu Respublicas  
constringerentur : in

eodem Statu hodiernum vivere *eos*, qui maje-  
state gaudent, quoties aliquid inter ipsos ne-  
gotii intercedat ; quandoquidem & hi nulli  
imperio civili subiecti sint : *Subditos* vero in  
mero Statu civili, a quo etiam civium nomen  
sortiti sint, constitutos esse

A 2

Hac

Hac assertione posita dubium merito subnascitur: *An, introducto inter subditos status civili, plane penitusque inter ipsos sublatus censendus sit status naturalis?* Quod aliis affirmantibus, nos præsentī dissertatione negabimus, demonstraturi, introductum in civitatibus statum civilem non eousque se semper & ubivis extendere, ut statum naturalem ejusque primævam libertatem profus eliminet, hancque civibus seu subditis penitus eripiat. Qua opera non rectius nos functuros existimo, quam si *primo* naturam & indolem status hominum naturalis & civilis, ex genuinis principiis, rite invicem conferamus; & *deinceps*: An & quatenus subditi in statu naturali vivant, breviter demonstremus; subjuncto *tandem* non contemnendo hujus disquisitionis usu. Faxit Deus feliciter!

CAPVT

## CAPVT PRIVS

DE

STATV NATVRALI ET  
CIVILI

## §. I.

Inquirentibus nobis, quid sit *status hominum*, quid *status naturalis*, quid *civilis*? necesse erit, ne petamus principium, ut ex primis *nature hominum moralis* fundamentis demonstrationis faciamus initium. Per *naturam* itaque hominum *moraalem* intelligimus naturam hominum, quatenus consideratur secundum fines ipsis præscriptos, & secundum media eos ipsos fines obtinendi. Ratio enim, in qua mentis in homine essentiam esse positam concedunt omnes, docet, omnes hominum actiones ad certum finem debere dirigi, finem autem non aliter, quam per media obtineri posse. Unde cum solus homo ratione polleat, (\*) qua duce certorum finium, sub notione boni cum iudicio agnitorum, normam sequi possit ac debeat: patet, solius hominis naturam duplici respectu, physico nempe & morali, considerari posse, cum e contrario natura brutorum rerumque inanimatarum solam considerationem physicam, per causas nempe & modos, admittat. Sic idea status aliarque innumeræ morales, in solos homines cadunt, non in bruta, aut res inanimatas.

(\*) Scite

(\*) Scire admodum hoc CICERO docet, quando hominis naturam Attico & Marco suo plenius delineaturus eum, ut *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, præclara quadam conditione generatum a supremo Deo* describit. *Solum enim est, ait, ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & ergitationis, cum cætera sint expertia.* Ex qua hominis descriptione demum infert: *Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni celo atque terra ratione divinitus? quæ cum adolevit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia? Et quoniam nihil ratione est melius, eaquæ & in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis societas,* Lib. I. de Legg. §. 54. p. m. 426.

## §. II.

Quod si itaque naturam hominis moralem accuratius consideremus, deprehendimus, dari finem aliquem hominis ultimum, seu generalissimum, ad quem reliqui intermedii tendunt omnes; eundemque esse hunc: *ut vera felicitate homo perfruatur.* Id quod & tantus facultatum corporis mentisque homini concessarum numerus, (\*) & tanta bonorum, quæ extra hominem posita, & homini in suum usum suamque felicitatem a Deo concessa sunt, multitudo & varietas satis superque demonstrat.

(\*) Deductum est hoc argumentum pluribus ERHARDO WEIGELIO in *Demonstr. Euclidea de Philof. moral. Sect. III. membr. II. cap. II.* itemque CHRIST. THOMASIO in *Jurisprud. div. Lib. I. cap. IV. §. 51. seqq.*

## §. III.

Ex eadem naturæ humanæ moralis contemplatione deprehendimus, unum hominem solum ad acquirenda media, ad perfruitionem quæcumque cujusdam felicitatis requisita, sibi non sufficere. Quicquid enim boni ad usus humanos in natura, cum ipsa humana, tum  
extra

extra hominem posita, reconditum latet, id maximam partem non nisi facultates sunt seu potentiae, opera demum hominum ad usus ipsorum aptandae. Hoc autem ut circa omnes illas varias, ac pene innumeras potentias fieri recte ac perfecte possit, aequae variis & pene innumeris habitibus, regulis & exercitio acquirendis, opus est. At his sustinendis sola unius hominis & facultas & vita minime sufficit: cum nec omnes ad omnia aequae apti sint, quia Deus per naturam dona sua varie divisit; & si vel maxime aequae apti ad omnia essent, vita tamen & tempus unicuique deficeret, ad ea, quibus solus maxime opus habet, comparanda, si nempe quisque solus pro se deberet arare, molere, coquere, texere, suere. Ut taceam tot alias artes & scientias ad promovendam felicitatem humanam necessarias, quarum sane singularum singuli habitus totam fere unius hominis vitam sibi postulant, quos si rectis intueamur, exclamare jure meritoque jubemur: *Ars longa, vita brevis!*

## §. IV.

Ergo necesse est, ut homines ad aliqualem hujus vitae felicitatem adspirantes, mutuis sibi invicem subveniant auxiliis, studiaque reciproca ad consequendum finem, omnibus communem, socialiter jungant: quae quidem in societate vivendi necessitas *Socialitas* a Scriptoribus nostri aevi moralibus dici solet. Et cum haec in societate vivendi necessitas per haecenus demonstrata ex ipsa natura hominis fluat; hujus autem auctor DEVS, Numen istud caeli terraeque supremum, existat: eo ipso pro necessitate, auctore Deo nobis incumbente, h. e. pro lege divina, eaque  
prima



prima, quæ reliquarum Juris Naturalis stricte sic dicti legum principium sit & fundamentum (\*) præunte SAM. PVFENDORFIO aliisque Viris summis, recte venditatur.

(\*) A priscis jam Sapientibus sedulo hæc fuere inculcata, quod *Socialitas*, si statum hominis in ordine ad alios Spectes, primum jus & fundamentum reliquarum legum omnium, quæ hominem naturaliter obligant, existat. Ex pertinet sane huc integra TVLLII de *Legibus* disceptatio, in qua nihil aliud ostendit, quam Legum vim & efficaciam a natura hominis sociali, quatenus eam a supremo Deo accepit, fundamentaliter & originaliter pendere. *Natura juris*, ait, *non a prætoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII. Tabulis, ut superiores, sed ab hominis natura repetenda est. Et ex intima philosophia haurienda. Repetam*, itaque pergit, *stirpem juris a natura, qua dux est nobis omnis disputatio explicanda. Nam sic habitote, nullo in genere disputandi magis honesta patefieri, quid sit homini natura tributum: quantum vim rerum optimarum mens humana contineat: cujus muneris colendi efficiendique causa, quæ in lucem editi sumus: qua sit conjunctio hominum, quæ NATURALIS SOCIETAS inter ipsos? His enim explicatis fons legum & juris inveniri potest, Lib. I. de Legg. §. 59. p. m. 248. Addatur SAM. PVFENDORFIVS de *Jure Nat. & Gent.* Lib. II. Cap. III. §. 15. lqq. it. MICH. FOERTSCHIVS de *conditione hominis sociali* §. 16.*

### §. V.

Ex generali hac in societate vivendi necessitate, non solum una aliqua universalis hominum societas, sed variaz præterea societatum peculiarium species nasci necessario debuerunt. Cum enim generalissimus ille finis generis humani, felicitas nempe eorum, qui in unam societatem coaluerunt, in innumeros alios, eosque specialiores fines se diffundat: necesse fuit, ut ad consequendum quemcunque

que ex his, qui alicujus momenti esset, finem specialiori nexu fecum jungerentur atque associarentur. Sic v. gr. ad consequendam commoditatem domesticam in familias, ad obtinendam securitatem publicam, in Civitates seu Respublicas, ad propagationem speciei suæ in societatem conjugalem, homines coiverunt.

## §. VI.

Speciales hæc hominum societates, vel si mavis, correlationes hominum peculiare, intuitu jurium ac obligationum ex istis confociationibus natarum, dicuntur *Status*. Unde definimus Statum hominum in genere, quod sit correlatio hominum, in certa aliqua societate viventium, peculiaribus, h. e. dictæ societati propriis, juribus ac obligationibus se exferens, ad veram aliquam hominum utilitatem tendens. Sic v. gr. Status Conjugalis est correlatio mariti & uxoris, in arctiore coniugii societate viventium, peculiaribus iuribus (v. g. dotis, successionis,) ac obligationibus (v. g. ad cohabitationem conjugalem, ad generandum, ad alendum & se invicem, & liberos,) se exferens, ad propagationem generis humani tendens. Sic porro Status familiæ est correlatio inter patremfamilias & reliqua membra in familiæ societate viventia, certis iuribus, (v. g. iure per alios sibi aliquid acquirendi, potestatis domesticæ, paternæ nempe & herilis, alimenta ab aliis petendi,) & obligationibus, (v. g. subjectionis domesticæ, alimentationis, obsequii,) se exferens, ad promovendam utilitatem rei familiaris comparata.

## §. VII.

Diximus statum hominum esse societatem seu correlationem

B

tionem

tionem hominum ad se invicem : eoque ipso nobis sumimus, ideam status naturâ suâ esse relativam. Cum enim in confesso sit, essentiam status uniuscujusque certis juri- bus & obligationibus absolvi; omne autem jus omnisque obligatio respectum habeat ad alium, vel Deum, vel hominem, cui obligemur, vel, qui jus illud tribuere nobis debeat: necessario sequitur, ideam status hominum, uti diximus, natura sua esse relativam, & statum itaque non rectius, quam per correlationem, generis loco definirî posse.

### §. II.

Ex hoc clare sequitur, in unum hominem solum & in se consideratum, ideam status haud cadere: cum sic nulla jurium ac obligationum correlatio esse possit, sine quâ statum concipi haud posse arbitramur. Utut enim Adamus etiam solus in statu integritatis vixerit: ille tamen status aliquam utique correlationem involvit, eam nempe, quæ inter ipsum intercedebat, & Deum, ex cujus voluntate jura sua & obligationes Adamus nanciscebatur. At hic status integritatis, ut & status lapsus, item status regenerationis, & qui sunt alii, qui correlatione hominum cum Deo innituntur, ad institutum nostrum non pertinent. Nobis enim de statu, quatenus spectatur in ordine ad alios, hincque correlationem hominum cum hominibus involvit, h. e. de statu hominis naturali & civili sermo est, non de statu hominis spirituali & ecclesiastico, quem consideratio hominis in relatione ad Deum spectati importat.

### §. IX.

Quemadmodum igitur ex dictis patet, unius hominis,  
in

---

## DE STATV SVBDITORVM NATVRALI. II

---

in se & citra relationem vel ad Deum, vel ad alios homines considerati, nullum concipi posse statum vere talem: ita ex eodem fundamento sequitur, animalibus etiã brutis notionem status proprie (\*) haud convenire. Tametsi enim bruta in greges qualitercunque coeunt: nulla tamen inter ea deprehenditur correlatio moralis, juribus quibusdam & obligationibus se exferens. Unde, licet quamplurimi Scriptorum morales, de statu naturali bestiarum multa ac varia commemorant: Status tamen vocabulum saltem abusive ab iis sumi credendum est; sicut pariter alia plura vocabula, quæ affectiones hominis proprias denotant, propter quamcunque similitudinem seu analogiam abusive de brutis prædicari solent, v. g. amicitia, bellum, prudentia, innocentia, & tantum non omnes virtutes morales.

(\*) Enodat hanc, quæ inter hominem & brutum intercedit, differentiam pluribus sat eleganter CICERO, quando *Lib. 1. Off. cap. 1.* ait: *Sed inter hominem & beluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque presens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, qui rationis est particeps, consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus presentibus adjungit atque adnectit futuras; facile totius vitæ cursum videt; eademque natura, ut rationis, hominem consiliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem.*

### §. X.

Non abire adeo multum hanc, quam de statu hominum hactenus formavimus, ideam ab aliorum Doctorum traditis, saltem nostram paullo clariorem esse, nobis persuasum

sum habemus. Equidem PVFENDORFIVS *Lib. I. de Jur. Nat. & Gent. Cap. I. §. 6.* non tam logice definire, quam ingeniose cum spatio physico comparare statum hominis videtur, quando ait: *Quemadmodum substantiæ physicae supponunt spatium, in quo suam, quam habent, naturalem existentiam ponunt, & motus suos physicos exercent: ita ad harum analogiam etiam personæ (tanquam substantiæ morales) dicuntur & intelliguntur esse in statu, qui itidem iis velut supponitur aut substernitur, ut in eo actiones & effectus suos exerant.* Inde natura status non incongrue exprimi potest, quod sit ens morale suppositivum, ob analogiam, quam habet cum spatio, quod itidem non videtur aliquod ens primarium, sed eo destinatum, ut cæteris quasi substernatur, eaque certo modo sustineat. Clarius tamen Idem de *O. H. & C. Lib. II. Cap. I. §. I.* ait: *Statum in genere vocamus illam conditionem, in qua homines constituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum.* Ubi illud saltem monendum esse censemus, quod, quando generis loco ponitur *conditio*, seu uti alii exprimunt, *qualitas moralis*, item *ens morale*, tum genus remotius & metaphysicum adducatur; perinde ac ipsam differentiam quoque nimium paullo abstractam & metaphysicam esse existimamus, utpote quæ in certo actionum genere obeundo, a PVFENDORFIO aliisque ponitur. Si enim non metaphysice, sed moraliter, ut debemus, statum hominis consideremus, nullum actionum humanarum vere talium genus sine juris & obligationis idea & conceptu conjuncto concipi potest ac debet, qua quippe sublata non moralis, sed potius physicus, vel plane metaphysicus conceptus remanet. Illud interim certum est, PVFENDORFIO nimis abstractam allatæ definitio-

definitionis suæ indolem vitio haud vertendam esse, cum ipse *Lib. I. de Fur. Nat. & Gent. Cap. I. §. 1. & seqq.* profiteatur, se eo loco entia moralia metaphysice considerare, eorumque latissimas saltem definitiones tradere, cum in classe quidem rerum naturalium tale quid in *Metaphysica vulgari* sic satis præstitum sit, de *Entibus vero moralibus*, generalissimisque eorum classibus, vulgares *Metaphysici* parum fuerint solliciti. Sunt & alii, qui statum hominum definiunt, quod sit conditio hominum, quæ eos socios faciat alicujus societatis, & ejus juris, vid. *LAVTERBACH Compend. Fur. tit. de statu hom. ab init.* qui plane nobiscum convenire videntur.

## §. XI.

Generalissime status hominum in naturalem & civilem, omnium Scriptorum moralium consensu, dividitur. Per *statum civilem* intelligitur correlatio hominum, qua societatis cujusdam civilis seu Reipublicæ membra sunt, ejusque adeo Jure proprio, quod civile dicitur, utuntur. *Status autem naturalis* dicitur (\*) status, qui hominibus superest, si a statu civili abstrahamus, quique adeo ea jura easve obligationes complectitur, quæ demto omni jure civili remanent. Hic status qualis fuerit, antequam in statum civilem homines coercerentur, & qualis hodiernum sit, inter eos nempe, qui hodiernum in eo statu vivunt, haud exiguo fervore a summis viris disputatum est. Alii cum *HOBBSIO* statum naturalem, statum belli omnium contra omnes, quod ex jure omnium in omnia ortum fuerit, esse perhibent, *HOBBS de Cive Cap. I. §. 1--10.* Ex horum mente status naturalis vere exlex esse videtur, quandoquidem expresse ait *HOBBSIVS loc. cit. §. 10. in not. Quod quisque fecerit in statu mere naturali,*

*id injurium nemini esse, injustitiam enim erga homines supponere leges humanas, quales in statu naturali nullæ sint.* Non delineare heic nobis HOBBSIVM verum status naturalis ideam, ex ipsis eius verbis manifesto adparet. Licet enim ad leges naturæ provocet, harumque ingentem quoque catalogum *cap. 1. 2. & 3. de Cive* recenseat: nihilominus *cap. 3. §. 33.* subiungit: *Cum lex proprie & accurate loquendo sit oratio ejus, qui aliquid fieri vel non fieri, aliis jure imperat: Naturæ leges proprie loquendo non sunt leges, quatenus a natura procedunt; quatenus tamen eadem a Deo in scripturis sacris latæ sunt, legum nomine proprio significato demum appellantur.* Quid clarius quæso est, quam leges proprie dictas nullas agnoscere HOBBSIVM, nisi positivas, eoque ipso leges naturales e numero legum verarum eliminare & expungere; qua in re vero egregie hallucinatur. Rectius contra alii in ipso etiam statu naturali hominem ad pacem & societatem colendam lege divina naturali obligatum esse contra Hobbesium contendunt, ut PVFENDORFIVS *de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. 2. §. 5. & seqq.* & HVBERVS *de Jur. Civit. cap. 3. & 4.* quorum sententiam, solidissima utpote demonstratione innixam, nunc nostram etiam facimus, ne generatioribus iusto diutius in hærentes ultra limites semel positos evagemur.

(\*) Spectatur status naturalis hoc loco non in ordine ad DEVM, sed in ordine ad alios, maxime vero in relatione ad statum civitatis. *Status naturalis* in ordine ad DEVM, hominis creatorem & legislatorem supremum spectatus, est illa vitæ conditio & hominum correlatio, in qua a creatore sunt constituti per nativitatem, eum in finem, ut honestatis amantes sint & recti jussique tenacissimi & DEO cultum suum exhibeant, Vocatur hic

hic status ab aliis *status perfectionis, status humanitatis, status rectæ rationis*; & opponitur statui bestialitatis seu vitæ & conditioni brutorum, quod homo in Statu perfectionis & humanitatis consideratis, DEVM tanquam auctorem & creatorem sui agnoscere, & colere teneatur; quia vel hanc ipsam ob causam tot eximiis animi & corporis dotibus instructus est & ornatus, non ut ferinam & beluinam, sed ut humanam, hoc est, rationi rectæ & sobriæ convenientem vitam agat & honestatis ac pietatis in omnibus actionibus suis, tum externis, tum internis, sit studiosissimus. At *status hominum naturalis*, in ordine ad homines alios spectatus, est ejusmodi eorum vitæ conditio & correlatio, secundum quam spectantur, ut plures, nullo societatis positivæ vinculo ac fœdere inter se colligati, neque communem supra se dominum habentes, sed mera & sola communi cognatione conjuncti & nullis aliis nisi legibus divinis subjecti. Vocatur hic status ab aliis propterea *status æqualitatis & libertatis naturalis*, quod in eo homines plures spectentur, ut inter se æquales, neque ullius alterius, nisi DEI, imperio & voluntatî subjecti; & opponitur hic status statui hominis civili, in quo communis quidam datur dominus; adeoque æqualitas & libertas naturalis certis legibus est circumscripta. HOBBSIVS statum hunc naturalem in posteriori sensu, sibi concipit, ut statum belli & turbatissimum; quem contra PVFENDORFIVS ut statum tranquillum & vere socialem considerat, quia ex ipsa Legislatoris supremi voluntate homines sese in hoc statu ut æquales, fratres & cognatos, respicere tenentur, & non læsionibus, sed beneficiis mutuis invicem contendere, conf. SAM. PVFENDORFIVS *Lib. II. de Off. Hom. & Civ. cap. I. §. 3. & 5.* item ANDR. ADAM HOCKSTETTERVS *Coll. Pufend. Exercit. IX. §. 2. & 3.*

## §. XII.

Illud saltem propter ea, quæ capite sequente de statu subditorum naturali in reliquiis suis spectato, demonstranda



stranda erunt, monendum adhuc videtur, 1) quod status hominum naturalis in genere neutiquam possit concipi *ex lex*, sed quod existat utique, silente licet legislatore civili, *Jus aliquod divinum naturale*, (\*) quod statum illum moderetur, idque per demonstrationem §. 1. 2. 3. 4. huius capituli a nobis allatam; 2) quod socialitas, Juris huius naturalis principium, non solum obligationes hominum erga homines, sed etiam Jura unicuique homini intuitu sui ipsius concessa involvat, quodque adeo Jus naturæ nec solum obligationem studentium commodis aliorum, nec solum Jus conservationis sui ipsius innuat, sed utrumque: sive, ut Christi Servatoris utamur verbis, quod *quilibet proximum amare debeat, tanquam se ipsum, & per consequens, se ipsum tanquam proximum suum.* (\*\*). Neuter enim amor excludere alterum debet, cum vel sola philantia, vel solo sine philantia amore aliorum genus humanum felix esse nequeat; 3) quod in statu naturali cuilibet competat Jus vi ab altero ea exigendi Jura sibi debita, quæ, cessantibus in hoc statu mediis civilibus, ab altero invito obtinere nequit; quodque adeo, utut status naturalis regulariter sit status pacis, per modum subsidii aliquando in statum belli aliquantisper degenerare possit; qui tamen status belli subsidiarius multum differt a statu naturali belli, quem HOBBSIVS supponit. Sicuti enim in locum Juris belli, quod in statu naturali singulis competit, & hodie- num competit Imperantibus, status civilis inter subditos lites seu actiones judiciales substituit: ita æque minus status hominum naturalis in bello omnium contra omnes consistere censendus est, ac status civilis natura in infinitis litibus judicialibus omnium contra omnes consistere dici

dici potest; cum, sicut in statu naturali bellum, ita in statu civili actio forensis ordinarium remedium coactivum sit, jus suum contra invitoſ perſequendi.

(\*) Tenetur itaque homo in ſtatu naturali legibus divinis, maxime vero naturalibus. Tametſi enim præcipuum in hoc ſtatu hominis juſ ſit, quod actiones ſuas ex proprio & liberrimo judicio ſuſcipere & modo ad hunc, modo ad illum finem dirigere queat; tamen ne hæc directio & propria ſui gubernatio a felicitate vera deſleſcat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis, & per conſequens juxta legis divinæ naturalis normam inſtituatur. Et cum huic normæ leges illæ divinæ poſitivæ, quæ certo inſtituto divino innituntur, vel maxime ſint conformes; patet inde, quod hiſ etiam legibus divinis homo teneatur, quia ad veram ſingularum felicitatem tendunt, conf. JO. FRANC. BVDDEVS *Inſtit. Theol. mor. P. II. cap. II. §. XLIX. ſqq.* Quapropter ab illo probe cuius abſtinendum eſt errore Carneadis, quaſi normam actionum in ſtatu naturali propria cujuſvis utilitas conſtituat. Nam ſi in hoc ſtatu quilibet, prout utile ſibi viſum, juſ ſibi in quolibet vellet arrogare, tum ſane non ampleſtetur medium ad conſervationem ſui diuturnam certo profuturum, ſed anſam potius ſubminiſtraret bello Hobbeſiano contra omnes. Perſpexit & proſpexit hæc mala infinita, quæ cum hoc errore ſunt conjuncta, jam inter veteres CICERO, quando contra eandem ſententiam *Lib. I. de Legg. §. 41.* ſequentem in modum declamat: *Quid faciet iſ homo in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem vel judicem? quid in deſerto loco naſtus, quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillum atque ſolum? Noſter quidem hic natura juſtus vir, ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet. Iſ vero, qui nihil alterius cauſa facit, & metitur ſuis commodis omnia, videtis, credo, quid ſit acturus? Quod ſi negabit, illi vitam ſe erepturum & aurum ablaturum, nunquam ob eam cauſam negabit, quod id natura turpe judicet, ſed quod metuat, ne emanet, id eſt, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agreſtes erubeſcant!*

C

(\*) Oblit.

(\*\*) Obligatur homo ad hunc amorem sui ipsius non *ex obligatione propria*, quæ nulla, quia ut nemo eodem respectu creditor & debitor simul esse potest, ita nemo simul & eodem respectu superior & inferior existit; sed *ex obligatione aliena*, nempe DEÏ, qui ipsum tot mentis corporisque dotibus pereximiis instruxit, ut ipse commodis socialitatis eo felicius fruatur, ad gloriam conditoris sui amplificandam. Hinc suzmetipsum homo obligationis objectum existit, quatenus in seipso terminatur obligationis exercitium, conf. HOCHSTETTERVS *Coll. Pufend. Exerc. V. §. 1.*

### §. XIII.

Ex his jam facile status civilis, ex ipso statu naturali, origo necessariaque consequentia demonstrari potest. Cum enim in statu naturali jus belli, h. e. officia immerito denegata vi ab altero extorquendi, unicuique homini fuerit integrum, quo tamen & mali ad alios injuste invadendum abuti potuerunt; quandoquidem in statu naturali unusquisque iudex est in propria causa, nec quisquam in alterius sententia de actionum suarum justitia vel iniustitia absolute acquiescere obligatur: sequitur, statum naturalem, cum prædiis suis spectatum, non esse sufficientem(\*) ad incolumitatem & felicitatem hominum procurandam, quoniam status naturalis propter malitiam hominum, qui tum libertate naturali, tum legibus naturalibus facile abutuntur, nemini hanc felicitatem & securitatem præstat, ut ipsi jus suum semper & ubivis ab omnibus tribuatur. Ad hanc itaque securitatem obtinendam nullum aliud excogitari potuit medium, quam ut potestate de causæ suæ justitia & iniustitia iudicium ferendi & jus suum vi privata prosequendi, singuli se abdicarent, illamque communi consensu in unam personam moralem, h. e. vel in universam

verſam ſocietatem, vel in unum aut plures, imperantes, in quos rotius ſocietatis jus collatum eſſet, transferrent.

(\*) Ediſſerit hæc pluribus SAM. PVFENDORFIVS *Lib. II. de Off. Hom. & Civ. cap. 5. §. 8. & 9.* ubi hanc inſufficientiam ex eo demonſtrat, quod nec *dictamina legis naturalis*, nec *federum initorum ſanctiones*, nec *metus Numinis divini & conſcientiæ morſus* ſufficiant ad ſecuritatem plenam & omnimodam procurandam. Regnant & dominantur enim in homine duo cumprimis vitia, quæ tranquillitati & felicitati tum communi, tum ſingulorum, in ſtatu mere naturali, obſunt. Vnum eſt *prohibitæ ab aliis diſſentiendi*, quæ ambitionem matrem agnoſcit; alterum vero eſt *averſatio ultro faciendi ea, quæ ere ſunt omnium*; & hæc avaritiæ eſt filia. Priori itaque malo in ſtatu civili obviamitur per unionem voluntatum ſub uno aliquo imperio; poſteriori autem malo obex ponitur per virium ad eundem finem & ſcopum, ſub uno illo imperio, unionem & conjunctionem.

#### §. XIV.

Innuit idem ſatis manifeſte PVFENDORFIVS, quando originem ſeu cauſam civitatum conſtituendarum metum eſſe perhibet, *de Jur. Nat. & Gent. Lib. VII. C. I. §. 7.* nec diſſentit in eo HOBBSIVS *de Cive cap. 5.* quando ſtatus civilis fundamenta ſolidiſſima demonſtratione deducit. Multi, intuitu huius demonſtrationis Hobbeſii, priorem ipſius de ſtatu hominis naturali hypotheſin excuſatum iverunt, putantes, HOBBSIVM ſummam ſtatus civilis neceſſitatem demonſtraturum, per modum fictæ ſaltem hypotheſeos, ita ratiocinatum eſſe: Si fingamus, ſoluto ſtatus civilis vinculo homines vivere, fore, ut bellum omnium contra omnes, & hinc omne miſeriarum genus inſequeretur. Aſt ſic adſtruere non debebat Hobbeſius, ſtatutum illum ſuum naturalem revera extiſſe,

& existere etiamnum, & quidem, quod probe notandum, *summo jure*, cum a parte eorum, qui se defendunt, tum etiam eorum, qui alios quomodocunque invadunt: quando v. g. ait: *Naturam unicuique dedisse jus in omnia, ita, ut in statu naturali cuilibet facere liceat quaecunque, & in quoscunque facere libuerit, de Cive, cap. 1. §. 10. Statum itaque naturalem esse bellum omnium contra omnes, eodemque jure omnium in omnia, quo alter juste resistat, alterum etiam juste invadere, ibid. §. 12. Quicquid quis faciat in statu naturali, injurium nemini esse posse. Imo si vel maxime tempus nunquam extiterit, in quo unusquisque uniuscujusque hostis fuerit, reges tamen & personas summam potestatem habentes, omni tempore hostes inter se esse. Et paulo ante: Inutile esse, hominibus doctis conari demonstrare id, quod ne canes quidem ignorent, qui accedentibus oblatrent, interdum quidem ignotis, noctu omnibus. Leviath. cap. 13. Et alio loco: Statum civitatum seu Rerumpublicarum hodiernum naturalem, i. e. hostilem esse, neque si pugnare cessent, idcirco pacem dicendam esse, sed respirationem, in qua hostis alterius motum vultumque observans, securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus & consiliis adversarii aestimet, de Cive, cap. 13. §. 7. (\*)*

(\*) Paradoxam hanc & fictitiam HOBBSII hypothefin concinne inter alios convellit laudatus antea HOCHSTETTERVS *Colleg. Pusend. Exerc. IV. in notis ad §. XLII* ubi simul ostendit, quod dogma hoc HOBBSII non novum sit, sed methodus saltim innovata; quandoquidem istud ab EPICVRO jam olim propugnatum & quoad praxin longe sit antiquissimum, cum Brennus apud PLVTARCHVM in Camillo adfirmet: *Προσβύτατον τῶν νόμων ἐκ φύσεως· πλεον ἔχειν τὸν κρείστων τῶν ὑπὸ δεσφίων, primam naturae legem esse, ut validior plus, quam imbecillior habeat. Idem apud LIVIVM contendit: Omnia esse virorum sortium.*

## §. XV.

Differre itaque inter se non parum intuitu jurium atque obligationum statum naturalem & civilem, ex hactenus dictis liquet. Et nisi nos omnia fallunt, omnes quidem juris naturalis & civilis differentiae ad duas commodissime classes possunt reduci. Differunt nempe tum virtute seu effectu legum formali, qua nempe omnis lex modo permittit seu tribuit jus agendi, modo obligationem imponit; tum objecto, seu illa ipsa re, ad quam lex vel jus tribuit vel obligat.

## §. XVI.

Priorem differentiam quod attinet, obligatio juris naturalis in eo diversa est ab obligatione juris civilis, quod obligatio naturalis interna sit, & solo judicio seu conscientia uniuscuiusque nitatur; obligatio autem civilis externa sit, h. e. coactionem legis externam in foro civili involvat, eoque potissimum effectu se prodat, ut producat actionem vel exceptionem; *vid. l. 7. pr. §§. sqq. ff. de pactis*. Inde est, quod Icti obligationem in naturalem, civilem, & mixtam dividere soleant, naturalem vocantes eam, quae a solo jure naturali est, vi externa in foro civili destituta: civilem, quae actionem de jure civili quidem producat, at sine obligatione interna, & invito jure naturali; quales quidem obligationes mere civiles, & inde fluentes actiones, ex iniquo juris, quod vocant, stricti rigore ortas, Praetor Romanus concessis exceptionibus subinde infirmabat, *vid. §. 1. §. seqq. Instir. de Exception. l. 36. ff. de verb. obl. l. 5. C. de inutil. stipular.* Mixtam tandem, quae & interna juris naturalis aequitate nitatur, & externa juris civilis autoritate roborerur.

## §. XVII.

Pari ratione circa jura, quæ in statu naturali leges naturæ hominibus tribuunt, variis modis jus civile a juris naturalis institutis abit. Primo enim facultas jura quæcunque proprio arbitrio violenter vindicandi subditis in statu civili adempta est: cum in civitate nemo sibi ipsi jus dicere possit. Secundo leges status civilis juribus lege naturali competentibus auctoritatem suam externam seu robur civile subtrahere possunt, id quod ex exemplis pactorum nudorum in Republica Romana, item donationis conjugum, nec non S. C. Ti. Macedoniani & Vellejani patet. Tertio lex civilis jus, quod lege naturali perfecte & absolute haud competit, largiri potest, v. g. jus expellendi conductorem ædibus venditis, item honorem & prærogativam, muneri cui aliquis præest adnexam, sibi vindicandi. Tandem lex civilis jus lege naturali competens subditis plane adimere potest, uti patet exemplo juris feras bestias capiendi. Nempe fundamentum, quo hæc omnia nituntur, est diversa diversarum civitatum ratio utilitatis. Utilitas enim civitatis publica utilitati singulorum privata prævalet. Unde omnis bonus civis obligari potest, ut juri suo naturali cedat, vel novum sibi jus imponi patiarur, quoties id civitati proficuum a legislatore judicatum fuerit.

## §. XVIII.

Sunt hæc potissimæ differentiæ legis naturalis & civilis intuitu duplicis effectus formalis, qui omni legi proprius est, obligationis nempe, quam imponit, aut juris, quod tribuit. Jam adhuc ostendendum, quomodo lex naturalis & civi-

civilis differat intuitu ipsius rei seu objecti. Vbi notandum, duo in universum esse, quibus omne, quicquid ad actionem moralem pertinet, absolvitur: finem nempe, quem quis actione sua quærit, & media, quibus eum quærit. Jam si accuratius rem pensites, deprehendes, moralitatem seu justitiam finium, ad quos obtinendos homo vel obligatur, vel jus habet; ex dictaminibus juris naturalis originaliter dependere. Media autem quod concernit, cum ea sæpiuscule sint plura, ad eundem finem facientia, quorum alterum subinde altero præstat: horum electio pro diversa diversarum Rerumpublicarum ratione Legislatori civili procul dubio competit. Vnde recte dicitur, principium ferendarum legum civilium esse prudentiam legislativam; omnis autem prudentia circa mediõrum electionem versatur. Adeoque intuitu objecti jus naturale & civile ita differt, quod illud præscribat fines, hoc media, *vid. RVDIGER Institut. Erudit. Lib. II. Tract. 2. Part. 1. Cap. 1. Schol. 5.*

## §. XIX.

Vt exemplis hæc juris naturalis & civilis differentia reddatur evidentior, finis aliquis, jure naturali præscriptus, est procreatio sobolis. Quicquid circa hunc finem leges civiles nuptiales introduxerunt, manifeste media sunt, ad dictum juris naturæ finem modo directe, modo per indirectum facientia; ut nempe matrimonium honestum potius ac decorum sit generis humani seminarium, quam vaga & impura Veneris officina. Sic crimina esse coercenda, naturalis ratio dicitur: quibus autem pœnis, (tanquam mediis,) id fieri debeat, nec non quibus mediis in delicta commissa, eorumque autores, inquirere iudex debeat,



debeat, ut nec conniveatur malitiæ, nec prematur innocentia, legislatoris civilis statuere debet ac solet prudentia. His iam principiorum loco præmissis facillimus ad tractationem nostram de statu subditorum naturali, in quantum relate aliquot eius reliquæ supersunt(\*), patebit aditus, uti sequentis capitis docebunt contenta.

(\*) Desinit status hominum naturalis formaliter spectatus, quamprimum alterius homo imperio se submittit, vel subicitur, communis securitatis & felicitatis causa. Quod tamen dum fit, non talem aut tantam homo facit libertatis suæ naturalis jacturam, ut non aliquam particulam hujus libertatis sibi relictam velit, cumprimis in iis actionibus, de quibus imperans humanus in legibus suis civilibus vel nihil disposuit, vel nihil disponere potuit. Vnde moderatio hujusmodi actuum velut reliquæ sunt & rudera status naturalis supra pluribus descripti; eodemque sensu datur status subditorum naturalis, cujus consideratio vel in regnis non-patrimonialibus usum suum quandoque insignem exserit.

## CAPVT POSTERIVS

DE

# STATV SVBDITORVM NATVRALI IN RELIQVIIS SVIS SPECTATO.

§. I.

**V**T clarior procedat status subditorum naturalis demonstratio, in compendium age! contrahamus ea, quæ capite præcedente principii loco fusius dicta sunt. Nempe quod *statum* hominum *naturalent* attinet, ille *legibus* quidem *positivis civilibus*, non autem ideo etiam *naturalibus* solutus censendus est.

est. Harum existentia ex primis socialitatis fundamentis, Cap. I §. 2. 3. 4. positis, manifesta est. Manifestum & id, vi harum legum unicuique homini tribui & jus promovendi utilitatem propriam, & obligationem promovendi utilitatem aliorum hominum. Quilibet tamen in statu naturali de iuribus & obligationibus suis proprio iudicio statuit, nec alia datur in hoc statu norma, humanum arbitrium determinans ad agendum id, quod iustum, & omitendum, quod iniustum est, quam propria & interna cuiusvis conscientia: unde tamen non sequitur id, quod vult HOBBSIUS, in statu naturali omnia contra omnes licere omnibus. Quod si alter jus manifeste nobis competens tribuere nobis pertinaciter recusat, in statu naturali bello id licere persequi, dubio caret; cum naturali rationi conveniens sit, etiam violenter alteri, si renitatur, eripere id, quod iure perfecto tibi competere manifeste intelligas.

## §. II.

Ast cum partim in proprio singulorum de iuribus & obligationibus suis naturalibus iudicio, partim in tam libero iuris belli usu, parum sit (\*) securitatis: a statu naturali necessario ad *statum civilem* descendere homines debuerunt, quo partim proprium de eo, quid iure fieret aut iniuria, iudicium singulis eriperetur, & eius loco iura & obligationes hominum externa legum civilium determinatione ad liquidum deducerentur, statutis insuper ad obtinendos fines naturali ratione præscriptos mediis convenientioribus; partim ius belli, quod propter abusum generi humano exitiale futurum erat, singulis adimeretur,

D

substi-

substituto in eius locum remedio coactivo turbis & abusu minus obnoxio, actionibus nempe forensibus.

(\*) Natum inde est vetus proverbium: *Nisi iudicia forent, unus alterum devoraret.* Nam uti homo homini plurimum prodest, quando rationi obtemperat, & honestatis sensu ducitur: ita non minus homo homini multum obest, si rationis frenum mordet, & libidini affectuum indulget, prout hoc latius deducit CICCERO *Lib. II. Offic. cap. 5.* Hinc a statu naturali, in quo omnes per naturam sunt constituti, libere fuit descitum, quod securitati in eo parum esset consultum; ut adeo tranquillitatem & securitatem publicam finem status introducti civilis primarium fuisse, ipse gentium Apostolus doceat *1. Tim. II. 1. 2. coll. Rom. XIII. 4.* Et quam miser sit status hominum *αἰκνῶσαλος*, sive imperio civili destitutus, ipse divinius spiritus repetitis vicibus inculcat *Jud. XVII. 6. & XIX. 1. sq.* & exemplo civium Gibeonitarum confirmat, qui cum sine iudice essent & capite supremo, ad extremam licentiam & nequitiam provolabant, totique tribui perniciem inferebant, *Jud. XXII. 25.* conf. IO. BARBEYRACIVS *in Notis suis Gallicis ad SAM. PVFENDORFIE Lib. VII. cap. I. de Jure Nat. & Gent. §. 7.* ubi BAYLIU & TILII de causa impulsiva introducti status civilis sententiam non prorsus abfimilem expendit.

### §. III.

His iam principiis positis quaeritur: *An introducto statu civili status hominum naturalis in universum extinctus sit?* Decisio procul dubio clarior erit & facilius, si ex principiis hactenus evolutis ipsius quaestionis sensum ad maiorem evidentiam reduxerimus. Quaeritur nempe: *An introductus in nostris Rebus publicis status civilis omnibus in universum subditorum actionibus moralibus leges positivas statuerit, ita nempe, ut nullae amplius supersint actiones*  
**mora-**

morales, lege civili non circumscriptæ; de quarum adeo iustitia vel iniustitia libera unicuique statuendi relicta sit potestas? Aut si quid in his iuris homini competat, quod, uti dictum, imperium civile vi externa haud muni- verit, sed religioni ac conscientiæ cuiusvis reliquerit, an non qualibuseunque remediis coactivis, legibus civilibus haud contrariis, privato cuiusvis arbitrio determinandis, compellere alterum inimice officium denegantem liceat, ut ad officium redeat? Quod si demonstratum fuerit, permultas nempe actiones subditorum una cum iuribus ac obligationibus naturalibus, earum intuitu competentibus, lege civili haud circumscribi, sed naturali libertati & con- scientiæ relictas esse; porro unicuique competere faculta- tem, huiusmodi ius, pro quo asserendo lex civilis nullam concessit actionem, qualicunque vi compulsiva privata, legi saltem civili non contraria, sibi asserendi: Neminem futurum credo, qui negaverit, subditos, non obstantibus status civilis institutis, respectu quarundam actionum sua- rum, earum nempe, quas imperium civile ad forum suum pertrahere noluit, etiamnum in statu naturali quodammo- do vivere; quantumvis e contrario intuitu earum actio- num, quæ legibus civilibus circumscriptæ sunt, in statu & sub imperio civili vivant.

#### §. IV.

Præmo itaque manifestum esse arbitramur, imperium humanum, quod in statu civili est, multas actiones subdi- torum legibus suis solutas relinquere. Initio enim omnis lex civilis obligatione ac coactione sua externa non nisi actiones subditorum externas (\*) moderatur, motuum

mentis interiorum moralitate alterius cuiusdam normæ directioni relicta. Hos enim cum inspicere legislator civilis nequeat, si vel maxime legibus suis eos constringere institueret, nosse sane nullo modo potest, an iussibus suis attemperentur, nec ne; ut taceam, iustitiam motuum mentis interiorum per naturam suam a sensu veri pendere, qui sane externo cuiuscunque hominis imperio aut impulsui nullatenus obtemperat: Unde omnis circa internas mentis actiones legislatio humana inanis est; & frustra a quibusdam asseritur, Jus civile non solum iustitiam externam, forensẽ, aut politicam, verum etiam internam animi iustitiam seu virtutem intendere ac moderari. Quod si vel maxime inter leges civiles una aut altera occurrat, quæ internam mentis humanæ dispositionem concernat, non proprie pro lege, sed pro doctrina aliqua morali, aut adhortatione paterna, habendam eam esse crediderimus. Cæterum huc pertinent ea, quæ de coactione conscientiarum, imperio civili haud competente, (\*\*\*) passim a Scriptoribus Juris publici & Politicis dicta sunt: quandoquidem ex dictis liquet, conscientias hominum ad recipiendum statum aliquem civilem per naturam ineptas, adeoque necessario in ipsa Republica ad statum naturalem relate sic dictum, pertinere.

(\*) Eximuntur motus & actus hominum interni foro civili, propter rationes in textu adductas; sed eo ipso vitiositas ipsis sua, si mali fuerint, & punibilitas, ut in scholis dicitur, non adimitur. Nam quia apud DEVM, mentium scrutatorem & exploratorem, ille jam fecit scelus, qui voluit scelus; & propterea incesta esse potest sine stupro, quæ cupit stuprum; id quod SENECAE effatum est: ex hac causa in foro divino sua omnes istos actus hominum internos manet vitiositas & punibilitas, qui legi divinæ relu-

reluctantur, tamen si ob defectum justæ cognitionis a magistratu civili non possint puniri, conf. HOCHSTETTERVS *de jure pœnarum Sect. V. §. 1. §q.*

(\*) Barbarum nempe & inhumanum judicat ratio, propter persuasionem aliquam internam de dogmatis alicujus falsitate aut veritate pœnis fori humani subijci. Notum inde est in vulgus STEPHANI BATHORII, Regis Poloniarum, judicium, qui dominatum conscientiarum inter ea referebat, quæ DEVS sibi soli non minus reservasset, quam ex nihilo creare quidpiam, aut futura prædicere. Hincque etiam ipsum Salvatorem nostrum sanctissimum, CHRISTVM, propter confessionem veritatis a Judæis non sine perpetua facinoris nefandissimi labe ad tribunal civile & crucem pertractum, egregie commoñstrat PVFENDORFIVS in libro singulari *de habitu religionis Christiane ad statum civilem*; cui addas CHRISTOPHORI BRANDII *Orationem ad Aulam Viennensem* de eodem argumento, quæ extat in PVFENDORFII *Rerum Brandenburgicarum* lib. XI. §. 84. item SAM. WERENFELSII commentationem epistolicam *de jure in conscientias ab homine non usurpando*; nec non GERARDI NOODT Jcti Belgæ, dissertationem *de religione ab imperio jure gentium libera*, aliaque his similia.

### §. V.

Sed nec omnes quidem actiones subditorum externas Imperium civile sibi subiecit, quandoquidem nec omnibus subditorum obligationibus naturalibus robur obligationis civilis, nec omnibus eorum juribus jure ea efficaciter in foro perseguendi (\*) adjecit. Cum enim verus status civilis finis securitas & tranquillitas externa, sive nexus societatis humanæ externus sit: Jura saltem & officia potiora, quorum denegatio aut omissio insignem nexus illius dissolutionem minari videbatur, remediis coactivis

civilibus imperium civile munivit, reliquis minoris momenti officiis & juribus subditorum conscientiarum & religioni relictis. Sic in nostris Rebus publicis obligatio ad officium misericordiarum & liberalitatis erga pauperes & infelices, sine vinculo civili mere naturalis est. Idem dicendum de officio gratiarum pro accepto beneficio reponendarum, & tantum non de omnibus humanitatis officiis, pro quibus sane omnibus & singulis judicialiter exigendis si actiones concedere imperans voluisset, infinito litium numero non adjuvaretur Respublica, sed obrueretur: ut taceam limitationes huius generis officiorum pene infinitas, quarum ratio in singulis casibus ad liquidum in foro civili deduci fere nequit. Vnde merito ab iis imperium civile abstinuit, & naturali liberarumque conscientiarum determinationi easdem reliquit.

(\*) Cave tamen, putes, quali *permissio* aut *silentium legis civilis* id efficiat, ut actus aliquis, qui contra legem naturarum est, idcirco *impune* fieri possit. Nam tametsi huiusmodi actus in foro civili poena non possit adfici, quia legibus civilibus non est interdictus; *jure tamen natura* idem est & manet *illicitus*: Sic LACEDAEMONIORVM statutum de *furtis artificiosis*, seu iis, quae per dolum & astutiam fiebant, non puniendis, actum aliquem, jure civili Lacedaemoniorum, licitum & permissum pronuntiabat, & eatenus illi, qui talia committebant, spectabantur, ut in statu naturali positi. Nihilominus tamen si actum hujuscemodi ad normam juris naturarum referas, eum illicitum fuisse illico videbis, quod omnia furtiva, quaecunque etiam illa fuerint, laesionem alterius inferant, jure naturarum, nisi aliae circumstantiae accedant, prohibita.

### §. VI.

Atque ex his iudicium ferri poterit de controversia, quam

quam BOECLERVS in *Dissertatione III. Comment. ad Grot. appendicis loco adjecta*, ventilavit: Annon in Rebuspublicis nostris officium grati animi pro acceptis beneficiis, obligatione civili roborandum sit, ita ut contra ingratos actio ingrati in foro civili detur? Quod merito fieri debere affirmat BOECLERVS, maxime ob turpitudinem & frequentiam insignem vitii ingratitude. Præterea provocat ad varias ex veteribus Respublicas, in quibus ingratitude criminis legibus pœnalibus prohibitum, eoque nomine actione ingrati jus suum contra eos, qui acceptis beneficiis indignos ingratitude se reddiderint, persequi concessum fuerit. Quamvis enim (\*) SENECA de *Benefic. Lib. III. c. 6.* asserat: *Excepta Medorum gente, non esse in ulla datam adversus ingratos actionem*: LVCIANVM tamen diversum pronunciare, qui in genere de Græcarum gentium juribus dicat: *Leges actionem ingrati dant contra eos, qui benefactoribus non referunt gratiam.* Certe XENOPHON *Lib. I. de Cyropaed.* idem de Persis testatur, ubi ait: *Δικάζονται δὲ ἐχθρῶν ἀχαριστίας καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι καὶ ἴστων ἔχουσιν, h. e. In jus nihilominus vocant etiam ob ingratum animum: Et si quem norint, qui possit quidem gratiam referre, nec tamen referat, eum severe puniunt.* Et addit denique rationem: *Ὄνεται γὰρ τῶν ἀχαριστῶν, καὶ περὶ Θεῶν ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχεν, καὶ περὶ γονέων, καὶ πατρῶν, καὶ Φίλων, quod nempe ingratos homines imprimis nulla deorum cura, nulla parentum, patriæ, amicorum, adfici arbitrantur.*

(\*) Alii apud SENECAM legunt: *excepta Macedonum gente,* quod Philippus Macedo ingrati hospitis frontem stigmatate inuisse dicatur eidem SENECÆ *lib. IV. de benef. cap. 37.* Plerique



que tamen viri docti consentiunt, annotante LIPSIO in scho-  
liis, vel *Perfarum* vel *Medorum* heic ponendum nomen, quia  
XENOPHON atque alii tradunt, ingrati judicium & pœ-  
nam *Perfis* fuisse. *Medos* autem *Perfis* finitimos & pro his etiam  
usurpatos, pluribus docet MURETVS XII. *Variar. cap. 3.*

### §. VII.

Equidem hic concedimus BOECLERO, inter tur-  
pissima æque ac frequentissima vitia ingratitude[m] esse  
connumerandam: at negamus, solum turpitudinis ac fre-  
quentiæ vitii cujuscunque respectum ad statuendam actio-  
nem pœnalem Prudentiæ legislatoriæ civili sufficere posse.  
Etenim ex generalissimis Prudentiæ civilis fundamentis  
liquet, solis iis vitiis hominum pœnas in civitate esse sta-  
tuendas, quæ & vi pœnarum externa coërceri ac reprimi  
possint, & quorum persecutio judicialis non plus forte  
turbarum, quam utilitatis, statui civili afferat. Hæc requi-  
sita si deficient, devitatio vitiorum, quantacunque turpitu-  
dine & frequentia sint conspicua, conscientia potius sub-  
ditorum committi, quam Jure vel vago & incerto, vel pla-  
ne noxio civitas turbari debet. Jam si rationes SENE-  
CAE *Lib. III. de Benefic. cap. 6. & sqq.* huiusmodi legis-  
lationem prolixè dissuadentis, examines, non sane nullas  
inter eas invenies, ob quas ingratitude[m] crimen in legem  
civilem difficulter cadere judicare possis. Primo puniri  
ingratitude[m] vix potest, cum ob innumeras actionum hu-  
manarum huc pertinentium circumstantias, quarum quæ-  
libet rem variat, jure satis certo determinari vix possit,  
quid sit beneficium, & quantum unumquodque, quidve  
ingratitude[m]? *Quæcunque enim, inquit SENECA lib. III.  
de Benef. cap. 7. in cognitionem judicialem cadunt, compre-*  
*kendi*

*bendi possunt, & non dare debent infinitam licentiam judici. Ingrati actio non erat judicem alligatura, sed regno liberrimo positura. Quid sit enim beneficium, non constat: deinde quantumcunque sit, refert quam benigne illud interpretetur iudex. Quid sit ingratus? nulla lex monstrat &c. Et cap.6. ait: Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbat. Neque absolvimus illud: sed cum difficilis esset incertæ rei estimatio, tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus. Deinde incommoda ex concessa actione ingrati in civitatem redundatura, & infinita litigia forensia, in tanta hominum, beneficia sua jactantium, aliena extenuantium turba, oriunda, non parum contra hujusmodi legem militant. Adjice nunc, inquit SENECA, l. c. cap. 7. quod huic uni legi omnia fora vix sufficient. Quis erit, qui non agat? quis, cum quo non agatur? Omnes sua extollunt, omnes etiam minima, quæ in alios contulere, dilatant. Equidem objicit BOECLERVS p. m. 104. Non dubia, sed certe & humani generis sententia definita beneficia, neque tam non reddita, quam maleficio pensata, legi subjicienda. At sic statum controversiæ deserere videtur BOECLERVS. Non enim de certis quibusdam ac determinatis ingratitude speciebus, sed de coercendo crimine ingratitude in genere loquitur SENECA, contra quem in loco allegato BOECLERVS disputat: cum querelæ illæ, non dari nempe in nostris Rebus publicis legem civilem contra ingratos, de vitio ingratitude in genere, non de una aut altera extantiore specie subaudiendæ sint. Certe enim circa unam aut alteram sat liquidam ingratitude speciem, lex & vindicta haud deficit, cum e scholis Jctorum notum sit, ingratitude libe-*

E

rorum

rorum erga parentes lege civili coerceri jure exheredationis, parentibus competente, *Nov. 115. Cap. 3. item ingratitudinem donatarii erga donatorem actione donationis revocatoria ex l. ult. C. de revoc. donat.*

### §. IIX.

Quicquid horum sit, illud saltem certum est, si Legislator civilis humanam aliquam actionem, quibuscunque permotus rationibus, in fori civilis limites haud traxerit, subditos intuitu illius actionis vinculo civili solutos & in libertate naturali constitutos censeri; quod quippe solum ad institutum nostrum sufficit. Cui & id adjiciendum esse putamus, ipsum usum illorum etiam jurium, quæ legum civilium beneficio nobis competunt, naturali cuiusvis libertati relictum esse. Cum enim cuilibet sit integrum, jure sibi competente vel uti, vel non uti, prout libuerit: patet, Legislatorem civilem, sicut legibus obligantibus circa aliquas actiones libertatem naturalem subditis ademit, ita e contrario circa alias actiones legibus permissivis eandem libertatem subditis plane & expresse confirmasse, atque securam in civitate præstitisse. Inde in foro civili originem traxit divisio officii judicis in *mercenarium & nobile*, quorum illud non nisi ad petita partium se exserit, ita, ut adiudicari jus aliquod nequeat, nisi petatur; hoc vero judicis, etiam citra partium petita, arbitrio constat, *vid. HOPPIVS ad pr. Inst. de Offic. Jud.* Quia enim, uti dictum, jurium cuique concessorum usus libertati ipsius relictus est, inconveniens utique foret, Judicem non agenti aut petenti, vel plane nolenti, ius suam obtrudere; unde hoc sensu officium Judicis mercenarium dicitur.

### §. IX. Ex

## §. IX.

Ex his cum evidentissime appareat, imperii Rerum-publicarum civilis instituta ad omnes subditorum actiones se neutiquam extendere, sed existere utique in ipso statu civili actiones humanas, de quarum justitia vel injustitia proprio judicio statuendi libera, legibusque civilibus prorsus soluta, unicuique competat potestas, quales quidem actiones sunt interni mentis motus, §. 4. & actiones externa, lege civili haud determinata, §. 5. sqq. ut & ipse usus juris lege civili unicuique concessorum, §. 8. Dubium sane nemini esse potest, primum illud status naturalis Jus, quo quisque de actionum suarum justitia proprio judicio, nullius hominis voluntati aut legi positivæ subjectus, statuit, ipsis etiam civibus seu subditis intuitu quarundam actionum suarum hodiernum superesse omnino debere.

## §. X.

Sequitur *Jus belli*, quo secundum indolem status naturalis supra declaratam, jus suum ab altero inimica perniciacia denegatum, violenter licet persequi. Et merito quaeritur, annon & huius aliqua saltem particula subditis, in statu licet civili constitutis, remanserit? Hic si cogites id, quod §. 5. sqq. docuimus, imperium nempe civile non ad omnes in universum civium actiones se extendere, sed ut ut multas earum legibus suis ac foro subiecerit, multas tamen etiam naturali liberoque subditorum arbitrio reliquisse; parum sane difficile erit, ad hanc quaestionem respondere. Illud nempe certum est, si cui jus suum quodcunque ab altero denegetur, neutiquam id licere persequi actibus lege civili prohibitis, rapinis nempe, verberibus, caede & sanguine, aliisque consimilibus. At nihil sane prohibere videtur, quo

minus hominem mihi infestum, quique varia jura humanitatis inimice mihi denegat, pro quibus asserendis nulla in foro datur actio, denegatis reciproce similibus officiis ipsi valde exoptatis, aliisque subsidiis legi civili non contrariis, pro virili eo compellere possim, ut ad officium redeat, nec de impunitate petulantiae suae, lege civili connivente, sibi prorsus cautum esse credat. Id enim utique non invito legislatore civili licere, inde patet, quod arbitrio & conscientiae uniuscuiusque tales actiones, quas lege civili comprehendere noluit, reliquerit. Vnde non incongrue aliquam status belli subsidiarii partem hominibus, quantumvis statui civili subiectis, remansisse (\*) dici potest. Atque adeo status cuiusdam subditorum naturalis existentiam, vel si mavis, haud exiguam, quae iis in ipso statu civili remansit, libertatis naturalis partem, liquido satis nos demonstrasse censemus.

(\*) Nec errat, qui pertinere huc dixerit integram *de moderamine tutelae inculpatæ* doctrinam, cujus usus in statu civili, si iudicis officium non tuto possit implorari, vel temporariam status subditorum naturalis existentiam, ut non perpetuam, satis corroborat, ceu hoc pluribus condocent SAM. PVFENDORFIVS *Lib. I. de O. H. & C. cap. V. §. 10. sqq.* H. GROTIUS *Lib. II. de J. B. & P. cap. 3.* WEBERVS *de habitu juris nat. ad disciplinam Christianorum, quoad caput defensionis violentæ, aph. 7. 13. & 20.* Immo spectant huc quoddammodo quaestiones plures, quæ de *potestate & libertate civium naturali* in regno maxime non patrimoniali & limitato disceptari solent, maxime si imperans vel usurpator regni fit violentus, vel in tyrannum degeneraverit; quorum omnium prudens & ingenua iudicatio ex hæcenus dictis non est adeo difficilis. Legatur de iis SAM. PVFENDORFIVS *lib. VII. de J. N. & G. cap. VI.* cum JO. BARBEYRACCII *notis Gallicis* in caput istud integrum.

### §. XI.

Jam si recordemur eorum, quæ Cap. I. de statu hominum  
natu-

naturali dicta sunt, quod nempe status hominum naturalis quicumque, neutiquam concipi possit vel debeat ex lege; quodque falsa sit hypothesis Hobbesii, in statu naturali summum omnibus omnia contra omnes patrandi jus competere: unusquisque sponte concludere poterit, statum naturalem, in quo, quarundam saltem actionum intuitu, subditos civile imperium reliquit, lege divina naturali haud solutum esse. Quare nemo putare debet, errorem illum HOBRESII de statu hominum naturali, introducto statu civili, saltem innoxium fore: cum potius error ille, superstite per hactenus dicta haud exigua status naturalis parte, valde exitialem post se effectum relinquat. Sic enim, cum per §. 4. motus mentis interni legibus civilibus haud subsint, nulla non cupiditas hominum summo jure, Hobbesiano nempe, erit licita. Sic quascunque etiam actiones externas per §. 5. Imperans in Republica externo obligationis civilis vinculo solutas reliquit, illis alterum laedendi indeterminata cuilibet competet licentia, cum status naturalis sit bellum omnium contra omnes, idque summo utrinque jure. Et quia injustitia erga homines, docente Hobbesio, ex lege demum humana est, qualis circa dictas actiones nulla existit, nulla hujusmodi actio alteri injuria esse poterit. Postremo cum per §. 8. usus ipsorum etiam jurium lege civili concessorum libertati civium relictus sit, nullis non litigiis judicialibus, Jure saltem civili quaecunque lege agendi jus concedente, alterum divexare, pecuniis emungere, imo ad incitas redigere licebit, & sic in locum belli omnium contra omnes, quod sublato statu naturali qualicunque pace compositum esse videri poterat, rixas saltem omnium contra omnes forenses, summo, juxta Hobbesium, jure status

civilis substituet; vel, si verum fateri velimus, status infiniti omnium contra omnes belli in ipso statu civili revera permanebit, mutata saltem belli specie, & utcunque mitigatis reciprocis se invicem lædendi ac persequendi mediis; & quæ his sunt similia.

§. XII.

Commonstrant hæ conclusiones omnes erroneæ & falsissimæ, quæ ex conceptu status naturalis erroneo proficiunt, non contemnendam hæctenus dictorum utilitatem. Plurimi enim homines in civitate viventes, circa actiones lege civili haud circumscriptas statum aliquem naturalem secundum principia HOBBSII sibi imaginantur, dum male sibi persuadent, quicquid connivente jure civili fieri potest, summo jure ipsis licere; & quicquid juris lex civilis ipsis largitur, eo promiscue & citra omnem respectum uti se posse. Ex nostræ autem Dissertationis nexu apparet, statum civitatis legibus suis haudquaquam oppressisse statum humanitatis, legesque divinas, quæ naturalem hujus libertatem, sicubi jus civile salvam eam reliquerit, determinant; hincque, ut quis juste se agere putare queat, non sufficere, ut bonum se civem præstet intuitu legum Reipublicæ, in qua vivit; sed requiri præterea, ut intuitu etiam status naturalis seu humanitatis, quatenus is ipsi in ipsa civitate superest, sit irreprehensibilis. Nemo itaque putare debet, actiones mentis internas, ut & actiones externa lege civili liberat, nec non usum jurium lege civili concessorum norma (\*) legali destitui. Speciosus justitiæ externæ seu mere civilis prætextus non debet opprimere justitiam & æquitatem naturalem, quæ antecedenter ad omnia civitatum instituta humana se habet. Quapropter ea omnia, quæ de  
statu

statu hominum naturali disceptantur, quatenus is, introducto utut statu hominum civili, in reliquiis tamen suis superest, longe maximam ad vitam secundum sanæ rationis & justitiæ regulas, ac juxta conscientiæ dictamen transigendam, adferunt utilitatem; ut taceamus, quod eadem ad veram religionem ejusque cultum viam pandant.

(\*) Nempe uti vel ex ipso illo HORATII lib. III. Od. I.

*Regum timendorum in propriis greges,*

*Reges in ipsos imperium est JOVIS,*

nemini est ignotum, quod imperantes summi, utut a legibus omnibus humanis sint prorsus immunes; tamen eapropter a sanctimonia legum divinarum non sint exempti; ceu hoc SAM. PVFENDORFIO lib. VII. de Jur. Nat. & Gentium cap. 6. §. 2. sq. nec non IO. FRANC. BVDDEO, viro celeberrimo, in Diss. sing. de Principe legibus humanis, sed non divinis soluto, pluribus est demonstratum; cum quibus omnino confer, quæ habet IO. BARBEYRACCIVS in Notis suis Gallicis ad PVFENDORFII locum allegatum p. 263. ita tantum abest, ut status subditorum naturalis, quantum in reliquiis suis superesse concipitur, omni norma legali destituitur, ut potius eos, in his reliquiis spectatos, norma legis divinx, *cordibus omnium inscripta*, juxta Rom. II. 15. immo vinculum religionis suæ, cui adstricti sunt hoc arctius constringat.

F I N I S.



AD  
NOBILISS. DN. RESPONDENTEM  
**JO. MICH. TEVTSCHERVM**  
BON. ART. ET PHILOS. BACCAL. AC MAGISTERII CANDID.  
ALLOQVIVM  
P R A E S I D I S.

**Q**uanto magis laudandi sunt conatus eorum honestissimi, qui tempus in Academicis otio non terunt, sed studio animi amulo ad virtutem grassantur; hincque etiam honores ipsos Academicos non prius ambiunt, quam edito ingenii & doctrinae suae specimine virtutem omnibus suam adprobaverint: tanto magis Tuam oppido virtutem, Tuumque, TEVTSCHERE OPTIME, conamen predicandum mihi esse intelligebam, & immo gaudebam, quum praesentem ingenii & doctrinae Tuae fatum valde eximium mihi paucis abhinc diebus offerres, utque publica dissertatione in lucem eum protrahere, eademque opera aditum Tibi ad promeritos dudum in PHILOSOPHIA honores summos eo laudabilius parare posses, meum ultro praesidium qualecunque quam modestissime efflagitares. Annui desiderii Tuis honestissimis hoc promptius, quod ex ejus scientiae foro & ambitu, quae nostra aetate vel maxime floret, & justae rectaeque fons omnis & regula prima merito adpellatur, argumentum dissertationis Tuae non ignobile, sed grave & jucundum selegeris, idemque Tuis curis & lucubrationibus in ordinem redactum, & ita simul perpolitum, mihi exhibueris, ut illud vere TVVM sit, & ego nihil inde mihi, praeter notulas quasdam, ad sensum animi Tui rectius illustranda, passim adjectas, vindicem. Venio itaque lubens in gaudii Tui societatem; & quum adeo, quanta in Te virtus sit & bona ingenii indoles, publico eoque sat egregio documento commonstres; & juris studium indefessum cum sapientiae cultu perpetuo non infeliciter conjungas: conferendos Tibi propediem summos in PHILOSOPHIA honores merito gratulor, majoremque honoris & virtutis Tuae amplificationem, juxta cum faustissimis rerum successibus, pia Tibi mente ominor, studia simul quavis paratissima, cum adfectus prolixissimi significatione, pollicitus. Vale!  
Dab, Lips. XII. Febr. MDCCXXI.